



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Agapitvs M. 18. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

let exui. Sed rejectâ hâc adulterinâ sorore, vitæ doctor deinceps Christus successit. Hic modò CLARÆ vel è Matris sinu osculum, vel seipsum manibus suis cibum ferre, vel stipem mendicus auferre; modò Agnelli formâ castissimæ colludere, modò denique cum Cruce Sponsi habitu adesse, & locum huic in corde expetere. Atque tunc nobilem illam, & quam in grandi demortuæ corde admirabundus Orbis sp̄ec̄tavit, peractam cælaturam credimus, quæ præter ternos ejusdem inter se ponderis globos (nobile Sanctissimæ Triadis symbolum) omnia Sponsi patientis arma exhibuit. In nobis nil tale ideò Cælum sculpit, quia dura heu! nimis saxa gerimus. Ex monum. Eccl. Mont Falc.

Infige pectori tuo, cordi tuo signaculum Crucifixi; infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua sint. Nihil in his criminis reviviscat, nihil erroris resurgat.
Ambros. in ps. 118.

S. AGAPITVS M. 18. Augusti.

ETiam AGAPITI citius annos, qui XV. tantum fuere, quam pugnas numeres. Nervis enim primò dirissimè cæsus talēm se præbuit, ut Sparra suum diceret, nisi Prænestē sibi vindicaret. Mox in carcere quatuor diebus sine omni cibo degens suo succo, hoc est, cæli deliciis vixit. Inde iterum protractus vivos carbones in capite circumtulit, pulchrè ipso supplicio suo coronatus. Sub hæc vestibus spoliatus omnibus, adiuctam se jam expeditiorem credidit. Ab equuleo ex pedibus pendulus gavisus est è terrâ sublatum cælo se propriorem esse. Flagris pessimè acceptus nuditatem tunc domesticâ purpurâ texit, sanguine. Jam ubi fumum pendentri Antiochus præses subjecit, risit etiam hunc

.Aug.
vitæ
modò
psum
dicus
ude-
adef-
tunc
cor-
cæla-
inter
riadi-
ibuit.
dura-
Falc.
xi; in-
sint.
irgat.

19. Aug. VITÆ SANCTORVM. 403
hunc, ut cuius consilia omnia denique in fumum
abirent. Tum verò geminari verbera, & perfundi
pectus bulliente à flammis aquâ, & pugnis frangi
malas Athletæ tyrannus jussit. Sed hic, non ille
etiam hæc sensit supplicia, vi divinâ è tribunali
mox etiam è vitâ exturbatus. Aurelianus ergo
Imp. morte AGAPITI Antiocho suo parentaturus
ad bestias damnavit invictum. Sed hæc cùm pedes
victoris lamberent, docuerunt humanitatem in
feras, feritatem in tyrannum immigrasse. Tandem
AGAPITVS decollatus intra geminas columnas
dicere sine mendacio Herculi potuit PIUS UL-
TRA. Ex Ferrario.

Si membris integris & valentibus flores, nōli corporis
robore & viribus gloriari; sed considera quot & quanta
corpori pericula immineant; quamvis enim ad exiguum
tempus corpus nostrum firmum sit, tamen quid posterior
paritura sit dies, ignoramus. S. Ephrem. de Vit. spir.

S. LUDOVICUS EPISC. 19. Augusti.

LUDOVICVM Caroli Regis Siciliæ primò, pòst
S. Francisci filium tenes. Puerulus somnum
statis humili precationibus interpellavit. Caponem,
quò pauperum præda esset, pio furto è mensâ ab-
latum, cùm parens id subodoraretur, in rosas ver-
tit. Arma ludicra tractantem cùm equus abjeci-
set, vicissim mundum ludibrio habiturus arma
ipse & equos abjecit. Quare quo die soror in ma-
num hominis convenit, ipse sacris initiatus virgi-
nitatem Deo despondit, dæmonemque sub fele
insidiantem signo Crucis elusit. Æger voto ad
D. Virginem factò è morbo surrexit, & in D. Fran-
cisci familiam abiit. Inde ad Pontificatum Tolo-
fanum electus est. VIRGINEM uti in omni vitâ,
ita